



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Disputatio II. De Creatione Mundi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

xxv. Respondent aliqui cum distinctione consequentis, ergo Deus & mundus facient aliquid perfectius intensivè, negant; extensivè autem concedunt.

xxvi. Verùm retinenda est nostra prior solutio; quia perfectius absolute & simpliciter sumptum, accipitur pro magis perfecto intensivè, & si dicatur aliquid esse perfectum extensivè, locutio est impropria, & significat tantum plura perfecta; non autem maiorem, sive excellentiorem perfectionem: quapropter inferendum duntaxat, ergo Deus & mundus sunt plura perfecta, quàm Deus solus, quo posito admitti posset totum; quia in eo nihil absurdi; imò quia pluralitas non est perfectio simpliciter simplex, uti simplicitas; semper verum est, quod Deus, utpote ens omnino simplex illis pluribus æquivalens, sit illis pluribus perfectior.

D V B I V M I I I.

An possit mundus perfici, & quomodo.

R E S O L U T I O I.

xxvii. **D**ico 1^o. Deus potest & potuit facere mundum, hoc, qui de facto existit, meliorem ac perfectiorem, quoad essentiam, substantiam & accidentia.

xxviii. Probatur, quia ente cuiuscumque serè speciei, potest & potuit melius & perfectius quoad essentiam, substantiam & accidentia, producere, ergo & mundum; consequentia probatur; quia ut summum mundus est aggregatum ex entibus cuiuscumque speciei, ergo, &c.

xxix. Confirmatur, Deus non necessitatur ad optimum in se, sed ut summum ad optimum ex præfixo sibi fine, sic ut in ordine ad illum nulla fuerit in Conditoris inconsideratio aut imprudentia, ut in Theologia ostendimus; ergo mundus, quem de facto condidit, non est de facto in se optimus, quem essentialiter, substantialiter & accidentaliter condere potest; finis autem, saltem non ultimatus, est utilitas hominis, &c. quo potest Deus habere perfectiorem, ergo, &c.

xxx. Dices, omnes species possibles habent ordinem ad res præsentis & in mundo superiori vel inferiori existentes, ac proinde, si quas Deus à creatis distinctas crearet, à creatis essentialiter non distinguerentur, sed inter se subordinarentur; idem dic proportionaliter de ly substantialiter & accidentaliter, ergo, &c.

xxxi. Respondeo supponi falsum, videlicet omnes species possibles sic esse creatas, ut in alio mundo creari non possint species aliæ illis omnino op-

positæ, prout brutum & homo opponuntur; & supra, & infra illas aliæ, & aliæ, magis aut minus perfectæ, sive quoad essentiam, sive quoad substantiam, sive quoad accidentia, in eo enim nulla prorsus repugnantia.

R E S O L U T I O I I.

xxxii. **D**ico 2^o. mundus, qui de facto existit perfici non potest essentialiter. ita Divus Thomas 1. p. quæst. 25. art. 6. Durandus in 1^o distinct. 44. quæst. 3. Conimbricenses hic, &c.

xxxiii. Probatur, quia essentia huius mundi sumitur per ordinem ad intentionem Dei mundi huius Conditoris; sed illa non potest perfici essentialiter, magis quàm homo perfici possit essentialiter, ergo, &c. Probatur minor, quia quidquid addetur, juxta illam addetur, vel non? si primum, erit de essentia; si secundum, erit ex alia intentione, ac proinde alium mundum constituet, ergo, &c.

xxxiv. Confirmatur, illud est de essentia mundi, sine quo mundus, nec esse, nec concipi potest secundum intentionem Dei mundi Conditoris; sed id consistit in indivisibili, ergo, &c.

xxxv. Obijcies tamen 1^o, possunt huic mundo addi varia accidentia perfectiva, & aliquæ novæ substantiæ creabiles: neque indivisibile est essentialiter id, quod Deus intendit per hunc mundum; ergo perfici potest essentialiter, substantialiter & accidentaliter.

xxxvi. Respondeo negando consequentiam, quia quidquid addi potest, addi potest juxta, vel citra intentionem Dei mundi Conditoris? non primum, quia id de facto est de essentia mundi per ordinem ad illam: si secundum, addetur ex alia Dei intentione ab hac essentialiter distincta, ac proinde hunc mundum essentialiter non perficiet, sed alium essentialiter potius constituet; quia eodem modo se habebit ad priorem mundum, sicut quaternarius se habet ad ternarium ratione quartæ unitatis superadditæ: sicut enim quarta unitas est constitutivum formale novi numeri substantialiter, ita hæc secunda intentio est constitutivum formale novi mundi substantialiter, licet improprie dici possit hunc mundum perficere, sicuti consortium alterius hominis primum hominem perficit: unde similiter dic artefacta, quæ sumunt suam unitatem essentialem à conformitate cum intentione, aut conceptu artificis, non posse essentialiter, substantialiter, aut accidentaliter perfici, ut semper verum maneat, quod Aristoteles sæpius repetit, videlicet *essentias rerum consistere in indivisibili*.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Creatione mundi.

D V B I V M I.

An Cognitione purè naturali certò cognosci possit hunc Mundum non esse à se, sed à Deo productum.

1. **A**nte Resolutionem
Suppono fide certum esse Deum esse
Authorem rerum omnium Gen. 1^o, in

principio creavit Deus Cælum & terram. Ioan. 1^o, omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil. Quæstio ergo est, an homo sibi relictus, & aliunde nondum acquisitâ certâ ipsius Dei existentis notitiâ, sed per ea, quæ facta sunt, adhuc acquirendâ, solo lumine naturæ cognoscere possit creaturas omnes esse à Deo conditas.

SENTENTIA ADVERSARIORUM,

A sola ratione naturali.

II. Dicent adversarii, non videtur cognitione purè naturali Physica certò posse cognoscere mundum à Deo esse conditum, secundum omnem sui partem, nisi aliunde præsupponatur existentia unius Dei certa, ex visibilibus, quæ facta sunt, acquisita notitia.

III. Probabunt ex Refutatione omnium rationum, quæ pro affirmativa adferuntur.

IV. 1. Aristotelis apud D. Thomam 1. p. quæst. 2. art. 30. *Omne quod movetur ab alio movetur*: unde eundem in infinitum, vel deveniendum ad unum quod ab alio non moveatur, quod erit Deus existens, à quo cætera totius mundi entia producentur, sed primum est absurdum; ergo datur Deus existens, qui ab alio non moveatur, & à quo cætera entia mundi producantur.

V. Sed contra fortè dicent, allatum ex Aristotele principium multas pati difficultates; quia imprimis moveri ab alio in infinitum, non est magis absurdum, quam durare alio, & alio die in infinitum, ita ut quilibet habeat subsequentem se; nisi quia ex illo sequitur nos non posse naturaliter venire in agnitionem primi motoris, sed id, sistendo in sola ratione, non posse, contendimus, inquit. 2^o. hoc principium gratis admissum, non probat Deum existere, sed primum motorem duntaxat, ex conditione suæ naturæ, fuisse in initio mundi ante res omnes; qui quidem primus motor esset ens perfectius cæteris entibus creatis distributive; an autem foret omnipotens, omniscius, immensus, æternus, &c. ac proinde Deus, non probat: quia dicitur possibilis alius primus motor alterius mundi perfectioris, illo longè perfectior, qui cum primo motore huius mundi stare posset, ut patet; neque hic discursus valet, ille primus motor esset ens à se, ergo perfectissimus in omni genere entis; quia ens à se ut tale, non plus distinguitur ab ente ab alio ut tali, quam ens per se ab ente in alio ut tali, scilicet finitè, de quo libro 20. Phys. Disp. 8. De Creat. Dub. 10. 3^o. inquit, illud principium, vel nimis, vel non satis probat; quærent enim, an solum illud aliud primum, à quo cætera moventur, sit Deus, vel etiam aliud medium præterea sit Deus? si solum illud primum, Verbum & Spiritus sanctus, à quibus cætera moventur, non erunt Deus, quia ipsi à Deo Patre tamquam primo sui motore moventur; si etiam medium, vel simul probat creaturas, à quibus plura moventur, esse Deum, vel nihil probat. 4^o. quia supponendo aliquot esse, & semper fuisse, principia passiva & activa diversæ naturæ & finitæ ac limitatæ ex natura sua perfectionis, sive talia, qualia in omnium sententia tunc sunt secunda principia ut v.g. materia prima, sol, &c. circa dependentiam præcisè à Deo; nec alia possibilia esse, quam ea, quæ de facto existunt; *omne quod movetur, ab alio movetur*, & tamen inde certò non infertur mundum esse à Deo conditum, Deum unum existere, &c. sistendo autem in ratione purè naturali Physica convinci non potest suppositum esse falsum.

VI. Omnino aliter Suarez Disputat. 29. Metaph. contra hoc principium, *omne quod movetur ab alio movetur*, argumentatur, videlicet; dici potest creaturam se movere ex innata & naturali sua virtute, sicut gravia & levia; unde nil concludit: quod argumentum dicit Arriaga esse efficax:

ad id verò quod Thomistæ respondent levia & gravia à generante moveri, Respondet se arbitrari, vel eos rem apertè falsam docere, vel non satis facere: sed si, tum Suarez, tum Arriaga considerassent istius principii esse hunc sensum, *omne quod producit, ab alio producit*, & attendissent ad veritatem Resolutionis, quæ in Physica Disp. 8. Dub. 5. dictum est, rem conservari à suo generante, puta eo modo, quo simul cum Deo rem 1^o producit, ut ibi; hæc non objecerent.

VII. 2^a P. Arriagæ 1. p. Disp. 2^a. quæ tam clara & efficax (ut asserit) est, quod ipsum pudeat, in re tam clara, vel amplius verbum facere: *Omne quod fit, ab alio fit*. Quo supposito,

VIII. Sic argumentatur: vel omne ens, quod est in Universo, est productum ab alio, vel non? (nam aliqua ab alio produci, ipsismet oculis videmus); omne ens non potest esse productum; quia si tota collectio esset producta, necessariò daretur mutua aliquorum causalitas. Quod sit

IX. Probat: tota illa collectio est entium finitorum, vel infinitorum.

X. Si finitorum, ponantur esse quatuor (& sic erit de centum, mille, &c.) primum producit secundum, secundum tertium, tertium quartum, & vel quartum, vel tertium, vel secundum, producit primum, ergo datur mutua causalitas, vel idem præsupponitur sibi ipsi; in quo, inquit, est repugnantia mutue causalitatis.

XI. Si infinitorum, sive simul existant, sive successivè, eadem est ratio, ac de finitis. Probat, quia tota collectio reipsa, sive realiter, est producta ab alio, vel non? si prius, ergo reipsa datur mutua causalitas; quia illa infinitudo non tollit mutuam causalitatem, quæ erat in finitis: si posterius, ergo in illa datur (quod etiam est probatio alterius partis antecedentis prioris argumenti) unum, quod est à se, & non productum, & illud est Deus existens, ergo, &c. Sed

XII. Contra dicent, vim retinet totum, quod contra primam probationem allatum est; solum adde ad hominem contra hanc ultimam consequentiam illud, quod non esset productum ab alio, fore quidem ens à se, non tamen Deum existentem, propter hanc rationem (præter allatam supra) sicut admittit P. Arriaga entia producta ex se fluxæ naturæ, ut impulsus, sensus, &c. ita admittere possumus entia à se ex se fluxæ naturæ, quæ enim disparitas præcisè sistendo in sola ratione? quo dato, illud ens à se, à quo essent cætera, extitisset quidem, sed posset jam non amplius existere, ac proinde non esset Deus: Pro solutione tamen argumenti in forma adverte, fortè dicent, illud optimè retorqueri in dies æternitatis à parte post hoc modo.

XIII. Vel omnis dies æternitatis à parte post habet subsequentem se, vel non? omnis non potest habere subsequentem se; quia si tota collectio haberet subsequentem se, necessariò daretur mutua aliquorum prioritas: si non, ergo in æternitate datur una dies, quæ non habet subsequentem se, & illa est dies ultima æternitatis à parte post; consequens hoc est hæreticum: audiat P. Arriaga an ipsum pungere debeat pro solutione huius retorsionis & rationum jam præmissarum vel verbum superaddere.

XIII. 3. omnium Theologorum communiter: tot miracula, tot futurorum prædictiones, tam pulcher rerum ordo ac cunctarum totius Universi dispositio, tam constans & perennis, ac

numquam interrupta rerum & temporum vicissitudo, esse non potest, nisi ab aliquo supremo rectore, & numine, intellectu & voluntate prædito, qui Deus vocetur; ergo, &c.

xvii. Sed contra dicent fortè, ista quidem moraliter & probabilissimè ostendunt dari aliquem supremum rectorem; non tamen Physicè & certò; quia dici posset illa miracula tantum esse operationes naturæ ut naturæ insolitas; vel potius allicujus causæ creatæ homine perfectioris, quæ, ut patet, non ideo deberet esse primus motor Deus: futurorum verò revelationes, non esse nisi conjecturas probabiles futurorum; maximè, cum videamus tot prædictiones hominum falli, & veras esse obscurissimas, ac plurimas, ut mirum non sit, si interdum verum ferant; rerum denique ordinem, Vniuersi dispositionem, rerum & temporum vicissitudinem, &c. esse partim à causis liberis, ut Angelis, hominibus, &c. & partim ab ipsis causis necessariis, operantibus juxta motum & instinctum suæ naturæ; quis proterytum sistendo in ratione pure naturali, in qua hic sistitur, de alio convincat?

xviii. Cæterum quamquam Physicè & certò constaret dari talem supremum rectorem, adhuc Physicè & certò non constaret illum esse Deum; primò, quia etsi dixeris illum esse ens à se, non ideo tamen demonstrabis illum esse Deum, ut dictum est: Deinde, unde demonstratur sistendo in sola ratione naturali, non esse tot supremos rectores, quot diversa regna, v.g. unde demonstratur sistendo in sola ratione naturali illum supremum rectorem, non producere decem, centum, mille, &c. rectores sibi similes, sicut Deus Pater, qui est à se, bene producit filium & spiritum sanctum; item esse spiritum, & non corporeum; esse omnino simplicem, & non compositum ex materia & forma; esse immortalem & non mortalem; esse immutabilem, & non mutabilem, &c.

Sententia Adversariorum evertitur.

xix. **R**efutatio rationum nulla est, ut statim patebit: Solutiones autem n. v. xii. & xvi. datæ enervantur dicendo, quod sicut ens per se perfectissimum infinite distat ab ente in alio perfectissimo, haud secus quàm ab ente per se imperfectissimo; ita ens à se infinite distat ab ente ab alio rigorosè creato perfectissimo; quia cum illud careat multiplicabilitate & perfectibilitate extrinseca sive ab extrinseco, eadem intrinsecà sive ab intrinseco caret; & sicut non est possibilis creatura, quæ ab extrinseco producat & intrinsecè non sit finitæ ac limitatæ naturæ, ita possibile non est ens à se quod ab extrinseco non producat & sit intrinsecè finitæ ac limitatæ naturæ; unde esse debet in suo genere, & super quolibet ente ab alio rigorosè creato, perfectissimum; cujus oppositum involvunt allatæ solutiones.

xx. Solutio autem n. xiii. data, etiam nil convincit: quia licet omnes dies illi collectivè sumpti extra totam collectionem, diem non supponant, extra illam tamen causam efficientem supponunt; sic similiter, licet omnia entia collectivè sumpta extra totam collectionem ens creatum non supponant; extra illam tamen causam creantem supponunt; hæc autem, ut patet, debet esse

causa non creata, ens à se, &c. quod Deum dicimus; unde ex demonstrato 1º motore rectè demonstratur Deum existere.

xxi. Solutio denique n. xv. data refellitur; quia non est fundamentum ista Deo negandi; & præterea judicium commune est, quod à Deo sint, & est periculum incomparabilis injuriæ in judicio privato dicente ista à Deo non esse; igitur omnino dicendum ista à Deo esse: quia demonstrativum est & lumen naturæ præcisè dictat tale judicium commune esse præferendum tali privato periculoso.

RESOLUTIO AUTHORIS

A sola ratione naturali.

xxii. **D**ico 2º. cognitione purè naturali Physicè omnino certò cognosci potest mundum esse à Deo conditum secundum omnem sui partem, etsi aliunde non præsupponatur existentia unius Dei certa ex visibilibus, quæ facta sunt, acquisita notitia.

xxiii. Probatur, non magis repugnat ens à se naturà suà illimitatæ perfectionis, à quo cætera entia producta sunt, quàm entia à se limitatæ (si non repugnent; nam ea repugnare. n. xix. ostendimus) perfectionis citra dependentiam, à quibus cætera entia producta sint; & ab illo æquè commodè, imò longè commodius cætera entia producerentur, quàm ab his, & judicium commune omnium ferè, etiam barbarorum ac gentilium est, quod detur, ergo ut minus dubium est, an illud sit, an hæc de facto sint: subsumo, atqui in dubiis judicium commune esse præferendum privato lumen solius naturæ dictat, si privatum habeat annexum periculum incomparabilis injuriæ, uti hic, ergo, &c.

Vide fol. 30. lib. 1º Phys. n. xxxii.

D V B I V M I I.

An Mundus sit creatus, & quidem liberè, à Deo.

xxiv. **P**ro prima parte Resolutionis suppono mundum esse creatum à Deo, id est productum ex nihilo, tum termini, id est mundi, tum subiecti, id est materiæ, cum à se esse non possit, ut supra probatum est: igitur pro altera parte dubii, sit

RESOLUTIO.

xxv. **D**ico inter Theologos certum est Deum hunc mundum ex libera sua voluntate produxisse.

xxvi. Probatur 1º. entia creata sunt bona limitata, ergo Deus in illa liberè tendit: Probatur consequentia, necessario ferri in bona limitata, est imperfectio; at in Deum non cadit imperfectio, ergo, &c.

xxvii. Probatur 2º. Deus potest producere plura & plura in infinitum, id est, habet tantam potentiam, quæ nunquam exhaustiri possit; sed quolibet finito facto potest adhuc aliud; cum aliàs non esset infinita, ergo non potest agere ex necessitate naturæ. Probatur consequentia, tum quia aliàs infinita faceret; tum quia simul & se-

mel necessariò omnia faceret, sic ut nihil ultra facere posset, quod probatur, quia agens necessarium tantum facit, quantum potest: sequela autem est contra manifestam continuationem & in dies novarum generationum experientiam.

xxvi. Confirmatur, si Deus non esset liber, non esset ratio cur has potius, quàm illas creaturas conderet, hoc potius tempore, aut loco, quàm alio; sed id potest, ut præcedens probatio convincit, ergo, &c.

xxvii. Obijcies 1^o. Deus est summè bonus, & summè diffusivus sui, ergo necessariò se communicat creaturis. Probatur consequentia, quia aliàs ageret contra inclinationem naturalem, quàm ex sua infinita bonitate habet ad se communicandum, ergo, &c.

xxviii. Confirmatur, quia frustra esset in Deo ista inclinatio, ergo, &c.

xxix. Respondeo negando consequentiam, ad ejus probationem, nego assumptum; nam Deus non est sui communicativus ex necessitate, sed ex sapientissima sua liberalitate; quapropter illa ad se communicandum inclinatio, ex natura sua subditur voluntati, ac rationi; ideoque, etsi non faceret secundum illam inclinationem, non tamen faceret contra illam.

Ad Confirmationem

xxx. Respondeo non fore illam inclinationem frustra; esset enim ad liberè manifestandam Dei bonitatem tamquam proprietas essentiam consequens, ad eum ferè modum, quo in homine est inclinatio ad ratiocinandum, quæ tamen frustra non est, licet homo non necessariò ratiocinetur.

xxxi. Obijcies 2^o. Deus necessariò se amat amore perfectissimo; sed ille amor videtur requirere ut alia etiam, præter se, amet, & propter se, & ideo creaturis se communicet, ergo, &c.

xxxii. Respondeo negando minorem, quia bona creata nihil perfectionis Deo adferunt; nil autem Deo necessarium, quod non est in Deo summè perfectum; unde cum illa communicatio nihil bonitatis intrinsecè Deo addat: amor ille perfectissimus, quo Deus se amat, & alia præter se, ac propter se, liber est, quatenus terminatur ad creaturas producendas.

xxxiii. Obijcies 3^o. Deus est immutabilis & impeccabilis, ergo non potest esse liber; Probatur consequentia, quia libertas videtur opposita includere; potest enim, qui est liber, facere quidquid vult, etiam malè; potest etiam modò unum, modò alterum velle, ergo, &c.

xxxiv. Confirmatur, actus liber debet esse aliquid productum, quod possit esse & non esse, ad eòque subjectum mutationi, quæ in Deum cadere non potest.

xxxv. Respondeo negando consequentiam: Deus enim est liber non ad peccandum, juxta illud Aug. lib. 1^o. contra Julianum. Et Liberum non est, nisi quod duo potest velle, id est bonum & malum: Liber Deus non est, qui malum non potest velle, de quo etiam ipse dixit, Deus esse nisi justus, non potest: sicine Deum laudas, ut ei auferas libertatem? an potius intelligere debes esse quandam beatam necessitatem, quæ Deus injustus non potest esse, neque ad mutandam voluntatem; juxta illud Iacobi 1^o. apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Malachiæ 3^o. Ego Dominus & non mutor. quare Augustinus ad simpl. lib. 2^o. q. 2^a. Deus cuncta mutabilia incommutabili voluntate dis-

ponit. Et divus Thomas de verit. quæst. 23. art. 1^o ad 2^{um}, illud quod vult, immutabiliter vult. Sed tantum ut ab æterno aliquid objectum velit, aut non velit; quia scilicet eos actus liberos, quos habet ab æterno, potuisset non habere, aut habere alios, quantum est ad terminationem ad objectum creatum.

Ad Confirmationem

xxxvi. Respondeo actum liberum creatum esse aliquid productum; non autem increatum: actus enim ille increatus est tantum liber in terminando, non in existendo, quod quomodo fiat, ob eminentiam perfectionis divinæ comprehendere difficulter ab homine potest, & pertinet ad primam partem Theol. optimus tamen modus videtur hic, si concipiatur actus voluntatis infinitus in Deo esse ex natura sua indeterminatus ad quodlibet objectum creatum, & hoc ipso fieri talis objecti volitio quod ad illud applicetur, suo tempore illud producendo, aut aliquà simili ratione; eo modo, quo voluntas, quæ est potentia ex natura sua indeterminata ad producendum hunc vel illum actum, eo ipso fit hujus actus causa, potius quàm alterius, quo illum actum ponit nullà alià re ipsi superadditâ.

C O R O L L A R I A.

xxxvii. Colliges 1^o. Deum, cum in operibus ad extra sit liber, non necessariò producere omne illud, quod est perfectius ex parte effectus; quia nimirum de ratione causæ liberæ non est agere quantum potest, sed solum quantum vult.

xxxviii. Colliges 2^o cur Deus non potuerit generare perfectiorem vel imperfectiorem filium: bene autem perfectiorem vel imperfectiorem mundum: disparitas enim est, quod Filius divinus producat ad intra, & à Patre tamquam agente necessario, quod agit quantum potest. Adde Patrem respectu Filii esse principium univocum; secus verò ipse mundus, producit enim ad extra, & fit à Deo ut agente libero, & secundum rationem æquivocam; unde nulla creatura adæquat potentiam Dei; bene autem Verbum divinum.

D V B I V M III.

An Mundus sit productus in tempore.

R E S O L U T I O I.

xxxix. Dico, mundus est creatus in tempore. Est omnium Catholicorum contra Aristotelem & Averroem 8. Physic.

xl. Probatur 1^o ex Script. Genes. 1^o. In principio creavit Deus cælum & terram, puta sic ut Deus illam præcesserit, ut clarius hæc loca expriment Proverb. 8^o. Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. ad Ephes. 1^o. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. Ioan. 17^o. Clarifica me Pater claritate, quam habui priusquam mundus fieret, ergo, &c.

Probatur 2^o ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & VI. Synodo, actione 11^a, in quibus veritas ista definitur.

xli. Probatur 3^o, quia ex historiis nulla est mentio ullius rei, quæ existerit, aut quidpiam fecerit, ante octo mille annos: ergo tunc dicendum est mundum incepisse; alioqui non apparet, cur illi alii, qui tunc fuerant, non fecissent ullam mentionem

tionem istorum temporum præcedentium; ergo, &c.

XLII. Objicies tamen ex Averroë, à voluntate Dei antiqua non potest procedere actio nova, quæ non est; quia non est, cur uno potius tempore, quam alio procederet, ergo neque à Deo, qui fuit ab æterno, potest procedere productio mundi in tempore tantum.

XLIII. Respondeo 1^o Retorqueri argumentum in voluntatem, quæ Deus adhuc singulis horis homines vult generare, & sic de cæteris, quæ sicuti de novo in dies fiunt, ita de novo potuit aliquando mundus fieri.

XLIV. Respondeo 2^o. mundum non esse à voluntate Dei, quæ antiqua & in æternitate prout præcedenti, sed à voluntate Dei quæ æquivalenter nova, & in æternitate Dei prout præsentē, de quo ex professo Theologi.

D V B I V M I V.

An mundus sit in æternum duraturus.

R E S O L U T I O I.

XLV. Dico 1^o. Mundus, saltem quoad corpora cælestia, animas rationales & mate-

riam primam, est in æternum duraturus.

XLVI. Probatur, quia illa per creationem conaturaliter producuntur & conservantur, in quam creatura nihil potest, ergo, &c.

R E S O L U T I O I I.

XLVII. Dico 2^o. hic mundus, sic est igne immutandus juxta illud 2^a. Petri ultimo: Cæli autem & terra, qui nunc sunt, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii, &c. Et infra: Adveniet autem dies Domini ut sur, in quo Cæli magno impetu transient, elementa vero calore solvantur: terra autem & quæ in ipsa sunt opera exurentur; cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, &c. ut tamen de fide sit cælum & terram esse in se, simili aut perfectiori in æternum mansura. ita Augustinus 20^o. de Civit. cap. 14^o. Gregorius lib. 17. Moral. cap. 1^o. prima pars patet. Probatur secunda ex eadem Epistola Petri, & eodem capite, novis vero Cælos & novam terram secundum promissa ipsius expectamus. Sed clarius Apoc. 21. Vidi cælum novum, & terram novam; primum enim cælum, & prima terra jam abiit.

DISPUTATIO TERTIA.

De Natura, Numero & Motu Caelorum.

I. **Q**uia perfectè cognosci non potest natura cælorum, an simplices, an compositi sint, nisi prius explicetur quid corpus simplex. Sit

D V B I V M I.

Quid sit Corpus simplex, & an possibile.

II. **A**nte Resolutionem, Suppono Corpus simplex multipliciter sumi: primò prout opponitur corpori simplici completo: secundò prout opponitur corpori composito ex materia tamquam potentia, & forma tamquam actus; sed clarum est per corp^u hic non intelligi illud, quod constat partibus, quarum una se habeat per modum potentia, altera per modum actus; sed quod sit substantia completa nullam includens distinctionem partium essentialium, licet habeat partes integrales: ita, ut sicuti datur substantia spiritualis completa Physicè simplex, v. g. Angelus, ita sit dabilis substantia corporalis, si ve corpus completum, Physicè simplex. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O.

XIII. Dico, possibile est corpus completum simplex, id est, non constans materia & forma substantiali. ita D. Thom. in 2^{um} distinct. 12. quæst. 1. art. 1^o. ad 3^{um}. Scotus in 2^{um} distinct. 14. quæst. 2. Durandus in 2^{um} distinct. 12. quæst. 2. Gabriel & Major ibidem, Suarez Disp. 13. Metaph. sect. 10. num. 8. Arriaga, Oviedus, & Comptonus hic contra Hurtadum, Ruvium & alios.

IV. Probatur 1^o, quia possibile est spiritus completus simplex, licet detur incompletus, ut anima

rationalis, ergo & corpus completum simplex, licet detur incompletum, ut materia prima: consequentia tenet à pari: antecedens est certum.

V. Probatur 2^o, de facto datur anima corporea simplex æquivalens in perfectione animæ vegetativæ tantum, & animæ sensitivæ tantum, uti est anima equi in communi sententia; ergo & unum corpus simplex æquivalens in perfectione materiæ primæ & formæ materiali substantiali: Probatur consequentia, quia si talis æquivalentia ad perfectiora de facto detur, à fortiori ad imperfectiora possibilis est, ergo, &c.

VI. Confirmatur. Nihil Deo negandum, quod apertam repugnantiam non involvat, ut sæpius vidimus, ergo, &c.

VII. Objicies 1^o. tale corpus esset materiale & immateriale; sed hoc implicat, ergo, &c. Probatur major, esset materiale, quia esset quantum, & haberet partes extra partes, ut supponitur, & esset immateriale, quia careret materia.

VIII. Respondeo distinguendo majorem, esset materiale & immateriale eodem respectu & contradictoriè, nego majorem; diverso respectu & non repugnanter, concedo majorem: diceretur ergo materiale prout esse materiale idem est, quod habere partes extra partes; non verò prout materiale idem est quod constans materia tamquam comparte corporis Physici; sic enim non diceretur materiale, sed potius immateriale; uti nec immateriale diceretur, si immateriale esset idem, quod non habens partes extra partes, idem quod incorporeum, &c.

IX. Objicies 2^o, tale corpus, nec esset materia, nec forma, ac consequenter, nec potentia, nec actus, nec compositum; unde non apparet, quid esse possit.